



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 7. Quatuor modis gloriam appeti; sed non omnibus bene.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)



## §. VII.

*Quatuor modis gloriam appeti; sed non omnibus bene.*

Vt ergo neque magnanimitatis virtutem excindamus, & quo modo Honor & Gloria appeti possit, vel non possit, perspicuè ostendamus, illud discrimen tenendum est, quatuor modis appeti posse honorem. 1. Nudè, & absolutè, vt ordo ad conuenientia, id est honesta parandæ gloriæ media neque includatur, neque excludatur. 2. Vt ordo ille excludatur, vel in totum, vel ex parte, honorque indebitus, hoc est, vel sine meritis, vel sine tantis meritis appetatur. 3. Vt primariò gloria desideretur, quæ virtuti debita, eiusque iustum stipendium est, adeoque vt media quidem honesta non excludantur, sed præpostero ordine ad vanos honores laudesque humanas, tamquam ad finem, referantur. 4. Vt & ordo ille ad actus honestos includatur, & honor, qui expetitur, ad diuinam gloriam, ad nostrum, vel alienum commodum, vel alium bonum finem extrinsecum referatur. Si primo modo honor, media scilicet bona neque includendo, neque excludendo, sed præcisè appetatur, appetitus ille est indifferens ex



S. Thom.  
2. 2. q. 132.  
art. 1. in  
corp.

Plutarch.  
in Ale-  
xand.  
Fulgof.  
lib. 8.  
cap. 15.

Virgil.  
lib. 1.  
Æneid,

obiecto suo. Quid enim vel peccati, vel virtutis sit in alieni de nobis boni & honorifici iudicij appetitu? *Appetitus gloria de se non nominat aliquid vitiosum*, ait S. Thomas. Quod si verò secundò modo, ordine ad honesta media excluso, in honorem feramur, inanis est illa, & mendax cupiditas atque vitiosa. Quis enim non videat, eum peccare, qui medijs ex parte exclusis, sibi plus honoris postulet, quàm exigant eius merita? Et longè magis illum, qui honorem appetat absque vllis prorsus meritis, adeoque illis penitus exclusis? Hinc Alexander Magnus præcipientem in Hydaspem, amnem deturbare Aristobulum voluit, quòd falsas ipsius laudes recitasset: ademptum profectò ei librum in amnem demersit. Adeò vel Ethnici oderunt honores vanitate nitentes. Et vel apud Poëtam non nemo ait: *Haud equidem tali me dignor honore*. Apud Herodianum, Pertinax Rom. Imperator, cum possessionibus imperatoris nomen suum inscribi prohibuisset, dicere solebat, illas nequaquam imperantium proprias, sed communes Romanorum, & publicas esse; existimans vanè putari, quod falsò putatur. Sin tertio modo, eo tantùm,

vel



honorem appetere ?

vel potissimum, sine opus honestum fiat, ut honor humanus habeatur, itidem desiderium eius est vitiosum; quia virtutis honestas est ordinis altioris, quam honor, qui est iusta quidem, sed inadæquata merces, & velut connaturale dumtaxat accessorium honestatis. Unde fit, ut præposterè honestas ad honorem, & virtus eiusque opera ad famam, tamquam ad finem suum referantur. *Vehemens*, inquit *Simplicius*, *gloria affectus est, & ipsi inhaerens animo atque affixus, & à seipso everti solitus. Putamus enim nos non appetere gloriam, cum eam hoc affectu appetimus: nec animadvertimus, turpem esse morbum animi, ob res bonas velle florere gloria. Nec enim consideramus eo affectu inquinari bonum, nec bonum manere aut posse, aut inprimis expetendum, si non per sese, sed ob consequentem gloriolam amplectamur. Nam bono etiam nostro, finis gloriola proponitur, ad quam consequendam necessario fortassis adhibetur (si ita ceciderit) iustitia. Ex iustitia enim honor virtuti debetur, qui etsi appeti possit, non tamen est, tamquam finis actionum nostrarum appetendus. Cuius rei causam hanc affert *Lactantius*: quia non est in nostra potestate, ut virtus pro suis meritis honestetur.*

*Simplicius*  
ad c. 48  
*Enchir.*  
*Epic.*

*Lactant.*  
*Firmian.*  
lib. 3. di-  
uin. Insti-  
tut. c. 8.



Nam quid est honestas ( non jam virtutis, sed honoris ) nisi honor perpetuus, ad aliquem secundo populi rumore delatus? Quid ergo fiet, si errore ac prauitate hominum, mala existimatio subsequatur? abiciemusne virtutē, quia flagitiosa, & turpis ab insipientibus iudicetur? Quia quoniam inuidia premi ac vexari potest; ut sit ipsum proprium, ac perpetuum bonum, nullo extrinseco adiumento indigere debet, quin suis per se viribus nitatur, & constet. Itaque nec vllum ei ab homine bonum sperandum est, nec vllum malum recusandum. Ob hanc quoque rationem non solum S. Augustinus, sed etiam Seneca inuehitur in Epicureos, qui voluptatem, quæ physicè est per se expetibilis, etiam moraliter finem virtutis constituerunt. Etsi enim moderata & honesta voluptas, per omnes sensus, in ordine ad bonum finem, ut ad conseruandam vel recuperandam sanitatem, admitti possit, non tamen ipsa, ut finis, admitti potest, licet in omnibus sensibus, ut tamquam finis quærat, insidiosissimè blandiatur. Bestiarum iste, non hominum finis est; illæ omnia appetunt ad voluptatem; quia id eas natura docet per se quærere, quod sensus per se quærunt; non quod ratio. Ait ergo D. Augustinus

S. August.  
lib. 5. de  
ciuit cap.  
20. & ep.  
56. Senec.  
lib. 4. de  
benef.  
6. 2.



gustinus idem facere eos, qui honesta opera ad gloriam, tamquam finem referunt. Quæ Augustini censura usque adeò vera est, ut eam etiam Persius in Satyra sua non dissimularit. Ita enim ille:

*Non ego cum scribo, si forte quid aptius exit,* Perf. Sa-  
*Quamquam hac rara avis est, si quid tamen* tyr. l.  
*aptius exit,*

*Laudari metuum. Neque enim mihi cornea*  
*fibra est:*

*Sed recti finemq; extremumq;, esse recuso*  
*Euge tuum & belle.*

Atque hoc est, quod virtutum summus Magister docet, cum ait: *Attendite ne iustitiam* Matth.  
*vestram faciatis coram hominibus, ut videami-* 6. l.  
*ni ab eis; alioqui mercedem non habebitis, apud*  
*Patrem vestrum, qui in caelis est. Cum ergo*  
*facis elemosynam, noli tuba canere ante te, si-*  
*cut hypocrita faciunt in synagogis, & in vicis,*  
*ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vo-*  
*bis, receperunt mercedem suam. Te autem fa-*  
*ciente elemosynam, nesciat sinistra tua quid fa-*  
*ciat dextera tua: ut sit elemosyna tua in ab-*  
*sccondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito,*  
*reddet tibi. Et, cum oratis, non eritis sicut hy-*  
*pocrita, qui amant in synagogis & in angulis*  
*platearum stantes orare, ut videantur ab homi-*



Ibid. v.  
16.

S. August.  
lib. 23. qq.  
q. 36.

nibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Ac rursus: Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocrita tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem, cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito; Et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Hoc ipso sensu D. Augustinus supra à nobis citatus ait: *Cauendum est, ne subrepat cupiditas placendi hominibus, aut per aliqua facta mirabilia, aut per difficilem continentiam, ut olim fortasse Lucretia, siue patientiam, ut Mutius Scævola, aut per aliquam largitionem, ut Gallienus Imp. Valeriani filius, qui nihil vniquam cuiquam petenti denegauit: aut nomine scientia vel eloquentia, ut plurimi, pro dolor, Doctores, & Concionatores. Pauci enim hunc scopulum animaduertunt. Plurimi operum suorum finem vltimum statuunt laudes humanas, & nominis sui celebritatem, de quibus diuina Index dicit: *Receperunt mercedem suam;**



*suam; hoc est, veram æternamque gloriam in vanam & perituram gloriam mutaerunt. Sustineamus inuicem, & labores huius vita mutuis adiuuentis perferamus, ait Lactantius, nec tamen si quid boni operis fecerimus, gloriam captemus ex eo. Monet enim Deus, operatorem iustitie non oportere esse iactantem; ne non tam mandatis celestibus obsequendi, quam studio placendi, humanitatis officio functus esse videatur, habeatque jam pretium gloria quod captauit, nec pramium celestis illius ac diuina mercedis accipiat.*

Lactant.  
lib. 6. In-  
stit. c. 18.

§. VIII.

*Gloriam humanam, nequaquam, ut finem operum nostrorum, esse spectandam.*

In eundem sensum multa differit D. Hieronymus, sed grauissimè idem Hiponensis Antistes, dum laudis humanæ cupiditatem, meram vanitatem esse demonstrat.

S. Hieronymus in cap. 5. ad Galat.

*Magni interest, inquit, cum aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione faciamus. Officium quippe nostrum non initio, sed sine pensandum est: ut scilicet non tantum si bonum est, quod facimus, cogitemus. Hos oculos quibus contemplamur, quare faciamus, quod facimus, auerti poscit (Psalmista) ne uideamus vanitatem: id est, ne hanc attendat, propter quam faciat.*

S. Augustinus serm. 12. in Psalms 118.